



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia**

**Sulpicius <Severus>**

**Amstelodami, 1665**

Simon Princeps Iudæor. & Pont.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11490**

tifices, vel Reges fuerunt, usque ad Christi nativitatem rerum ordinem digeremus.

- 1 XXXVII. Igitur post Jonathan, *Simon* frater ejus, ut supra dictum est, Hebræis præfuit, <sup>1</sup> jure Pontificis: id enim ei, <sup>2</sup> tum à suis, tum & à populo Romano, honoris <sup>2</sup> delatum. Hic cum <sup>3</sup> secundo Demetrii regis anno civibus præesse cœpisset, <sup>4</sup> post octo annos, <sup>5</sup> insidiis Ptolemæi, <sup>3</sup> circumventus occubuit. Huic <sup>6</sup> *Johannes* filius successit: qui cum aduersum <sup>7</sup> Hyrcanos, gentem validissimam,

egregie

reges, etiam pontifices erant. Sic Simon & qui cum secuti sunt usque ad Aristobulum, cum pontificatu principatum administrarunt. Primus Aristobulus diadema sibi sumpsit: à quo deinde reges & pontifices. *Drusius*. Idem Sigonius.

1 *Jure Pontificis.*] Et principis, vel si eum ducem aut ethnarcham libet appellare, quæ in idem recidunt. Sic vocatur 1 Mach. 15. 1. Σίμωνι ἱερεὶ ἔθναρχῳ τῶν Ἰουδαίων, quæ vetus interpretes convertit, *Simoni sacerdoti & principi gentis Judæorum*. Nam ἔθναρχος princeps gentis. *Drusius*. Vide Fullerum 14. Miscell. 16.

2 *Tum à suis, tum à Populo Romano.*] 1 Machab. xiv. 25. ubi Latina editio, *Populus Romanus*, Græca habet ὁ δῆμος simpliciter. Quod rectius intelligitur de populo Iudæo, quam de populo Romano. Sane historiæ veritas postulat ut hic legamus potius, *tum à suis, tum à regibus*. Nam honos iste delatus ei fuit à regibus, Alexandro & Demetrio 1 Machab. 11. 27. & xiv. 38. *Drusius*. Romani vero quomodo hoc concedere poterant, qui adhuc in Syria nihil juris habebant? Iudæos autem illi socios appellaverunt. *Sigonius*.

3 *Secundo Demetrii regis anno.*] De quo dictum. Atque hic primus ἔθναρχος Simonis est. Τοσούτων δὲ βι' ἢ ἑπτά εἰς τὴν Σιμωνά φιλολομία, ὡς τὸ ἐν τοῖς ἀπὸ ἀλλήλων συμβολαίοις, καὶ τοῖς δημοσίοις γράμμασιν ἐπι

ἔστι πρὸς τὴν ἐκείνου γράφειν Σίμων  
ἔστι δὲ πρὸς τὴν Ἰουδαίων καὶ ἔθναρχος.  
*Joseph.* 13. 11.

4 *Post octo annos.*] Si cœpit præesse anno cxxx. ut apparet ex 1 Machab. 15. 14. præfuit duntaxat septem annis. Nam anno cxxxvii. occisus fuit, insidiis generi sui circumventus, 1 Machab. 16. 14. *Drusius*.

5 *Insidiis Ptolemæi circumventus.*] Generi sui, qui vocatur Ptolemæus Abobi F. quem Chronicon templi secundi perperam regem Ægypti facit, historia extat, 1 Mach. 16. 14. *Drusius*. Hinc iterum in pejus labi cœpere res Judaicæ. *Fugus civium, urbium everstones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi.* Tacitus.

6 *Johannes filius successit.*] Secundus natus. Nam Judas & Mathathias interfecit fuerunt una cum patre, 1 Macc. 16. 14. Hunc Johannem Eusebius non semel Jonathan appellat: in quo memoria lapsus mihi videtur. *Drusius*.

7 *Hyrcanos, gentem validissimam.*] Apparet membrum illud, *gentem validissimam*, à Sulpicio ex ingenio additum esse. Ex ingenio, imo ex opinione. Nam opinatus est Eusebium loqui de gente Hyrcanorum, quæ procul aberat à Judæa, ut non sit verisimile Hyrcanum adversus eam gentem bellum gessisse. Quid igitur? Aut loquitur de Hyrcania, vico Palæstinae juxta Judæam; Stephano memorata: aut fallit nos ipse, imbutus falsa opinione de hoc nomine. *Drusius*. Imo militaverat hic Johannes in castris Partho-